



Lucae Osiandri theologiae doctoris, Epistola Eucharistica, ad Ioannem Sturmium Vespertilionem scripta Gratitudinis ergò, pro edita Palinodia Ironica.

<https://hdl.handle.net/1874/427719>

L V C A E O S I .
A N D R I T H E O L O -
G I A E D O C T O R I S ,
E p i s t o l a E u c h a r i s t i c a :

A D
Ioannem Sturmium Vespertilionem

S C R I P T A
Gratitudinis ergo, pro edita PALINODIA Ironica.



T U B I N G A E ,
Apud Georgium Gruppenbachium.
Anno 1581.

ЛІСОВА
ДОВІДКА
ІНФОРМАЦІЯ
ІЗ СЕСІЙ
ІЗ ВІДЕО

Із засідань

LVCAS OSIAN.
DER THEOLOGIÆ DO-
CTOR, IOANNISTVR,
MIO VESPERTILIONI

*sanam mentem pre-
catur.*


GO, STVRMI VESPERTILIO,
ingrati animi crimen vehementer
horreo : in eo enim vitio nihil mali
non inest: quare ne in te pro edita Pa-
linodia ingratus viderer, malui te
breui saltem epistola (etiam inter
multas meas occupationes) alloqui,
quām silentio in suspicionem ingra-
titudinis venire. Si enim vñquam de tota controuersia cau-
sa, si de mea etiam persona benē meritus es : certe eam lau-
dem edita tua Ironica Palinodia, in primis consecutus vide-
ris.

Gratias igitur tibi ago, Vespertilio, quas animo meo cō-
cipere possum maximas, pro illius tui Ironici scripti publis-
catione. Ita etim respondisti, vt omnia mea potius confir-
maueris, quām refutaueris : tua verō probare, ne quidem
conatus es : meam insuper famam & existimationem au-
xiliitram verō prorsus extenuasti: vt multorum de te opis-
tionem non modo non superaueris, verū etiam expes-
tationem fefelleris. Id vt omnibus fiat manifestum, quām
possum breuissimē Antisturmij mei secundi capita præci-
pua tibi in memoriam reuocabo.

Scripti, post renatam Euangelij doctrinam, perturba-
tam fuisse Ecclesiam Christi Cinglano dogmate : cui D.

A 2 Lutherus

LVEA OSIANDRI

Lutherus non modo verba institutionis Cœnæ Dominiæ, verum etiam doctrinam de Majestate & omniprésentia Christi opposuerit: eam fuisse tum communem præstantissimorum illius seculi Theologorum doctrinam, quam nemo, nisi aperte Cinglianus esset, suggillabat: aduersus quam etiam tu (veterator, seu veteranus Theologus) viuo Luther, ne quidem mutire audebas. Refutavi verbis D. Lutheri tuam calumniam, de præsentia Christi, in omnibus lignis, lapidibus, herbis, folijs, cantharis cereuisiarijs. Confirmavi nostram piam de omniprésentia Christi sententiam ex discisis Apostoli Pauli, et Ieremia Prophete. Ostèdi, idem sensisse nobiscum Cyrillum, Theophylactum, Chrysostomum: & inter recentiores etiam clarissimum & doctissimum virum Iacobum Fabrum Stapulensem: et monstravi tibiblasphemias, quas in Majestatem Christi euomuisti: tecum conuici, quod Orpheus, Poëta Ethnicus, plus Theologie dicerit, quam tu, Rector quadragenarius, homo titulo Christianus. Omnipotentiam etiam & omniscientiam Christi (secundum humanitatem) testimonij Euangelista Matthæi & Apostoli Pauli probauit: & has proprietates humanae in Christo nature (sine eiusdem tamen abolitione) reuestra communicari, ex Theodoreto, Cyrillo, Damasco, & Athanasio, demonstrauit. Calumnias tuas (quod duos falsos Christi ad cœlos ascensus fingamus, verū autem ascensum negemus, quodque cœlum et infernum confundamus) vera, pia, perspicua & candida nostræ sententiae explicatio ne iugulaui. Veram corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna præsentiam & exhibitionem (de qua Euangelistæ tres, et Apostolus Paulus clarissime loquuntur) etiam Augustini, Chrysostomi, & Ambrosij testimonij comprobauit. Indignorum manducationem ex Paulie epistola ad Corinthios defendi: atque ea in re nobiscum sentire Augustinum, Basilium, & Chrysostomum, ostendi: tuasque blasphemias calumnias

EPISTOLA E V E H A R I S T I C A .
calumnias, quas cōtra illam partem pię doctrinę eructasti,
in os tuum impium & impudens ingessi.

Præterea mendacia quædam tua putidissima refutauī,
hæc nimirum: Quod de Confessione quatuor Ciuitatum
ab ordinib⁹ Imperij, qui Augustanam Confessionē Caro-
lo Cæsari exhibuerunt, tū iudicatū fuerit, eam ab Augustas
na Confessione non dissentire: quod Electores et Principes
Naumburgi M V T A T A Confessioni Augustanae subscrip-
serint: quod nos à Formula Concordiæ de Coena Domini
An. 36. V vittebergæ cōscripta, recedamus: quod q̄ ea For-
mula Caluinismū sapiat. Hęc, inquā, tua mēdacia cōfutauī:
primitū quidem, ex historia Sleidani, que, etiā te iudice, pub-
licā obtinet authoritatē: alterum, ex prefatione Electorum
et Principiū, quam illi manib⁹ suis subscripterūt, et sigillis cō-
firmarunt: tertius ex lib. Concordiæ, cui formula V vitteber-
gensis ad verbū est inserta: quartū, ex ipsa Formula Cōcor-
diæ V vittebergensi; in qua nihil inesse, quod nō ex diame-
tro cū Caluinismo pugnet, demōstravi. Insuper tuas inepti-
as, de traditionib⁹ nō scriptis (qua in re tu Romanizas) ex-
plosi. Hęc in prima parte mei Antisturmij 2. sunt tractata.

Veniamus etiā ad alterā partem, quę de libro Concor-
diæ agit. Recitaui ibi verā & simplicem historiam de illius
libri compositione: quod videlicet, sex illi viri, qui Formu-
lam conscripserunt, ab Electoribus & Principibus ad illud
negocium fuerint legitimè vocati: quod liber ille à multis
Theologis fuerit lectus & iudicatus: et quod in ea quedam
fuerint mutata, ne vel falsis fratribus rimæ patērent, vel ca-
lunij occasiones præberent. Commemoraui breuiter totius
libri et singulorū capitū Argumenta. Ostendi, quibus con-
ditionib⁹ Electores et Principes subscriptionē illius libri
à Theologis postulārint: ihs videlicet, vt librum diligenter
legerent, in timore Domini expenderent, & si eundem

L U C A E O S I A N D R I

cum sacrī literis, & cum Augustana Confessione, per officia consentire deprehenderent, tum demum eidem can-
didē subscriberent. Ostendi, quām tu homosīs impudens,
& quām impius, qui nō modō ausus fueris sex illos Theo-
logos Bergenses, verūm etiam ipsam Formulam Concor-
dīx sexcentis conuiījs, calumniījs & mendaciījs obruere,
quam tamē Formulā nunq̄ te vidisse, nunquā legiſſe fate-
bāre. Obieci tibi, quām cōtumeliosus fueris in Electores &
Principes, quorum scripta & facta impuro tuo ore conspu-
ere non es veritus. Demonstraui, te splendide mentiri, cum
affirmas, exteris Ecclesiās damnari, & illis periculum crea-
ri. Docui, quanta calliditate Synodus tamē postules, qua-
lis aut dari non possit, aut, in qua veritas pluralitate (ut vo-
cant) votorum Cinglānorū opprimatur. Et hæc de alte-
ra Antisturmij mei parte breuiter dicta sunt.

Videamus etiam tertiam Antisturmij partem: in qua
de mea & de tua persona agitur. In ea refutauī tuum men-
daciūm, quod finxeras, me alienum scriptū (Antisturmij
prīmū) pro meo edidisse. Confutauī tuum, tuīq̄ similiūm
figmentum, de meo cognomine: quod parēs meus cognos-
mento Osiandri, opinionem sanctitatis sibi parare voluerit:
cūm illi aliud esset nomen à caligis deductum. Ostendi,
quām virulentus homo sis, qui in me reprehendas, quod
parētis mei errorem de Iustificatione non approbo: quanta
etiam tua sit vanitas, cūm dicis, me eos pro concione marty-
res Diabolī vocare, qui pro Christiana religione supplicia
acerbissima pertulerunt: itē cūm affirmares, me in Argen-
tinēsi Ecclesia omnes maiores, Pastores, & Senatorios vi-
ros, et ciues (qui ante hæc tempora vixerint) damnare: ut reli-
quas nugas tuas nunc, breuitatis studio, præteream. Tan-
dem demonstrauī, te esse monstrum ex septem sectis quasi
confusa-

E P I S T O L A E U C H A R I S T I C A .
conflatū: ita quidem, ut recte dici possis, Cinglianus, Syner-
gista, Schuuencfeldianus, Papista, Nestorianus, Philo-
sophaster, et Epicuræus: itaq; non benē consulere suis libe-
ris, qui eos (tali scilicet monstro) formandos commendent.
Hæc suffia est eorum, quæ in Antisturmio secundo scripsi.

Q V I D A V T E M , Sturmī Vespertilio, ex his omnibus
in tua illa scurrili, & plus quām insulsa & inepta Palinodia
refutasti: imo, non dico, refutasti: sed quid obsecro refutare
falsum tentasti? An tu putas, sola mera & perpetua Ironia
(quadragenario, scilicet, Rectore & septuagenario viro
digna) refutari posse solidum aliquod scriptum? Sed pro-
fecto, Vespertilio Sturmī, sapienter ea in re egisti: ita quidem
ut parum absit, quin & ego Palinodium scribam. Ego enim
te aliquoties delirare dixeram: nunc te sapere velle intellis-
go. Sapientis enim est, non conari ea conuellere, quæ euerso-
tere nequaquam possis: ne duplex stultitia deprehendatur.
Ac, si tu Sturmī, hactenus tacuisses, sapere visus fuisses: &
si falso posthac digito compescere labellum posses, vides
reris de tua illa sapientia (Dictatore & Rectore digna) aliz-
quid retinuisse. Sed iustum Dei iudicium tuā hypocrisim,
stultitiam, vanitatem, virulentiam & Epicuræam impietas-
tē produxit in lucem. Neq; pr̄ius tacebis, opinor, quām Do-
minus tibi in uito silentium in hoc mundo mandauerit, tecq;
eo alegauerit, ubi erit fletus et stridor dentium perpetuus:
vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.
Sed ut ad rē redeamus: an tu putas, miser Vespertilio, men-
dacia metamorphosi quadam transformari in veritatem, si
eater'q; quater'q; repeatantur, & ingeminentur? An existis
mas coccysnum tuū, toties iteratum, esse cātum Lusciniæ?
Demonstrandum tibi erat, ea scripturæ dicta, quæ attule-
ram, nihil facere ad sententiæ meæ confirmationem: ostendendum

L V C A E O S I A N D R I

dendum erat, dicta Patrum Antisturmio inserta, non recte allegari. Conuincenda erat mea historica commemoratio mendacij: idq; testimonijs evidentibus, & omni exceptione maiori bus. Purgare debebas te, de Caluinismo, Synergismo, Schuuenckfeldianismo, Papismo, Nestorianismo, Philosophastri accusatione, & in primis de Epicurismo. Hoc erat RESPONDERE ad rem: si quidem tu quicquam horum præstare potuisses. Sed omnes cordati & intelligentes viri vident, quod in his omnibus haeresas, ut mus in pice. Neque mirum: nam Vespertilio aliquid de mure, & aliquid de aue habet: neque alis suis è pice se liberare potest. Quare boni & intelligentes iudicant, te tua Palinodia & de causa tua mala, quam agis, & de tua ipsius persona pessimè meritum esse, tuisc; rebus minimè consu luisse.

Posuisti mitii etiam Epinicion, homini, scilicet, Venatori, Musico, Pentaglotto, VICTORI, etc. & in Elogio meo vocas me Musarum Sacerdotem: teq; Vespertilionem ipse appellas. Etsi autem, Vespertilio Sturmi, non adeò plumbus sum, vt tuos sarcasmos non intelligam: tamen accipitium & Epinicion & Elogium, tanquam Caiphæ summi olim Pontificis vaticinium. Nam & is de salutari passione Christi, nesciens, vaticinatus est: Caiphas enim erat illius anni Pontifex: vt tu es Academiæ Rector & Dictator. Quia vero tu ipse non intellixisti tuam Prophetiam, sicut nec Caiphas suam: age, explicabo tibi breuibus epitheta, quæ mihi VICTORI attribuisti.

VENATOR tibi sum, Sturmi: at nullam vñquam feram perem: ac ne persecutus quidem sum: tametsi aliquoties ab Illustrissimo meo Principe iussus sum ad venationem vñ à exire. Tāta est enim Celsitatis eius insignis clementia et humanitas, vt Consiliarios et Ministros suos, quādoq; vñ à ad venatum

EPISTOLA EUCHARISTICA.

venatum educat: non quod eorum opera ea in re indigeat,
sed vteos à laboribus quotidianis paulisper auocet, vt ani-
mum recreent, atq; tanquam intensum arcum, remittant.
Sed quia tibi placuit me Venatorem facere: age, dicam tiz
bi, qualis sim Venator. Spiritus sanctus dicit in Cantico
Canticorum: Capite nobis Vulpes, Vulpes paruulas, quæ
demoliuntur vineas: nam vinea nostra gemmas protrudit,
Cant. 2. capite. Vulpecula eras, Sturmi, cùm simulares,
te NOSTRVM esse, & interim callide cum Cinglianis col-
luderes. Et, profecto, dum in vulpina incessisti, multum
damni in Ecclesia Christi (in vinea illa Dñi) dedisti: quia
occulte Cinglianismurū teneris animis instillasti. Ego au-
tem te Vulpem deprehendi in vinea Domini, & qualis
esses, omnibus ostendi, in primo meo Antisturmio. Po-
stea (vt es mirabile monstrum) conuersus es in aprum.
De pro autem, quomodo in vineam Domini (Ecclesiam)
grassari soleat, sic scripsit Psaltes: Exterminauit eam APER
de sylua, & singularis ferus depastus est eam, Psalmo 80.
Cum itaq; viderem, te in tuis posterioribus Antipappis,
tanquam aprum, grassari in vineam Domini, arripui glas-
tulum venatorum verbi Dei, te q; ita confeci, vt aliquan-
telligent, te confossum esse, neq; amplius resistere posse.
Sed, si plura tibi venationum genera placent, dico, te esse
ardeam, quæ minutos pisciculos in stagnis deuorat, & haud
parum damni dare solet: tu enim teneram iuuentutem
Caluiniano dogmate perdis. Ego igitur falconis officio
functus, te in aëra assurgentem, & mirè tibi ipsi sublimi vo-
latu placentem, insectatus sum, tecq; arreptum deieci. Dis-
ces autem forte, me nimium de rebus meis gestis contra te
gloriari. Sed meminisse debes, quod me in Epinicio vi-
ctorum ipse appellaueris. At hostis Confessio & testi-

LVCIAE OSIANDRI

monium maximam habent authoritatem: quare, velut
 ipsius Confessione, VICTOR sum: tu autem vixtus. Mu-
 sicae, quam mihi denuo obijcis, nondum me pudet: est
 enim donum Dei Optimi Maximi. Pentaglottū me nun-
 quam iactavi: neq; tamen poenitet me laborum, quos in
 discendis præcipuis linguis impendi: & spero maiorem
 inde ad Ecclesiam Dei fructum redire, quām situ Demos-
 sthenem & Homerum totos deuorasses. Ego mea studia
 non ad ostentationem vanam, sed ad Ecclesiæ utilitatem
 institui: tibi per me licebit superbire artium dicendi cogni-
 tione, quām diu libuerit. Magnas autem tibi gratias debes
 re me fateor, quod tandem me Musarum Sacerdotem fa-
 cias, quem paulo ante alinū Cumanum dixeras. Est enim
 & hæc pars aliqua Palinodis: nisi forte Musæ tales iam
 habeant Sacerdotes, qualis tu nunc es Academiæ Rector.
 Si enim talis esse perrexeris, profecto Musas tuas, tuas, ins-
 quam, quæ tam sunt in doctrinam piam blasphemæ, omni-
 nib. inuisas & abominabiles reddes. Deniq; cùm te ipsum
 Vespertilionem vocas, mones ipse tuos auditores, vt tuum
 coniunctum & crebriorem omnem conuersationem fu-
 giant. Vespertilio enim est ex illis agibus, quas Dominus
 ipse immundas esse censuit, Leuitici vndeclimo capite.
 Quid: quod Vespertilionis figura pictores interdum Cas-
 codæmones repræsentare solent: quare libenter tibi relina
 quo nomen & figuram Vespertilionis: neq; dubito, quin
 omnes boni te, vt foedam admodum auem (postquam in
 forma Vespertilionis iam aliquoties sub vesperam tue æra
 tis euolasti) vehementer auersentur.

Hæc omnia, Sturmi Vespertilio, cùm causam, quam
 ego aduersus te ago, commendent, tuæ vero plurimum
 noceant, meritò tibi magnas gratias debo, quod Palino-
 diam tuam omnibus deridendam exposueris.

Sed

EPISTOLA EUCHARISTICA.

Sed fortasse inquies: si non verbis modo, verum etiam factis gratitudinem meam declarare tibi velim, æquum esse, ut Theses illas Hermanni Pacifici refutandas suscipiam: vna cum illo elegantissimo Paralogismo, quem in fine, tanquam caudam tuæ Palinodiæ assuisti: id enim me obnoxie rogasti. Rem nō difficilem postulas, Vespertilio Sturmi, sed tamen valde iniquam: itaq; æquum petito. Mihi enim, Sturmi, quadragenarie Rector, tecum negocium est: non autem cum illo Hermanno Pacifico. Et, si eam tecum pugnandi rationem acceptarem, quotidie mihi nouos aduersarios adduceres, & interim te subduceres: & ex actore spectator fieres. Et talia impura scripta (eiusdem argumenti & elegantiae) sexcenties sunt à nostris solidè confutata. Non .n. tui Holocingiani & Hemicingiani quicquam noui adferunt, nisi quod lenocinium compræ orationis addunt: veterem interim impietatem retinent. Deinde vis mihi (quod pace tua dixerim) obtrudere scriptum supposititium, cuius ipsum authorem in hodiernum usque sui pudet: quippe cuius nomen proferre non audet: itaque spurius est iste libellus, qui non habet legitimum Patrem. Et perscribitur ad me, huius scripti authorem esse Theologum, qui hactenus suo Principi persuasit, se nō esse Cingianum: cuius perfidiam, si Princeps ille aliquando amaduerterit, faciet profecto, quod se dignū erit. Et tales sunt hodie plures Theologi, vestrae farinæ homines, qui cùm occulte zizania Cingianismi in piorum Principum ditioribus disseminent & plantent, postea imitantur adulteram illam in Proverbijs Salomonis, quæ os tergit, & dicit: NO NON SVM OPERATA MALUM, Proverb. 30. cap. Iube igitur Hermannum Pacificum sine larua in lucem prodire:

L U C A E O S I A N D R E

1812770
& reperietur fortē pius Pastor , qui L V P V M illum gladio
verbi Dei confodiat. Noli autem, mi Vespertilio Sturm,
hanc operam iam nunc à me requirere. Ego enim totus
sum occupatus in edendo sexto Tomo Biblico , qui Euau-
gelistas quatuor & Acta Apostolica (si Domino placue-
rit) complectetur. Eius priorem partem Typographus iam
typis excudere pergit, ego verò in posteriore eius parte ab-
soluenda adhuc elaboro : quare ut morulam tantillam mo-
deratē feras oro : amici enim literis crebris à me editionem
maturam flagitant. Interim fortē prodibit tuus Osiander
Catechumenus : nisi fortē abortum feceris : eum partum
vbi video , ea humanitate in tuam gratiā illum excipiam,
ut intelligas me hominem esse gratum , qui officia officijs
compensare studeam. Dominus tibi, mi Vespertilio Stur-
mi, det vinciam dimidiām sani cerebri: plus enim capi-
tulum Vespertilionis capere non poterit.

Datae Stutgardiae, 27. Aprilis

Anno 1581.

F I N I S.